

Joachim Hartmann

**Programma, Qvo Ad Festam Diem Spiritvs Sancti In Apostolos Christi  
Effvsionem In Memoriam Nobis Revocantem Pientissimi Animi Affectv Rite  
Celebrandam ... Vaticanii Per Sanctvm Danielem Cap. IX, 24. 25. 26. 27.  
Consignati, ... Domini Ioannis Davidis Michaelis ... Tentamine in LXX  
Hebdomades Danielis ...**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1781?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn87735541X>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1781. Pfingsten.

~~M. 1256. 420. c.~~

1781

PROGRAMMA,  
QVO, AD  
**FESTAM DIEM**  
SPIRITVS SANCTI IN APOSTOLOS CHRISTI  
EFFVSIONEM  
IN MEMORIAM NOBIS REVOCANTEM  
PIENTISSIMO ANIMI AFFECTV  
RITE CELEBRANDAM,

*CIVES ACADEMICOS O. O. HONORATISSIMOS,*  
OFFICII SVI PARTES, QVO PAR EST, ARDORE  
IMPLETVRVS,

HVMANISSIME COHORTATVR,  
VLTIMASQVE ILLUSTRATIONIS,  
VATICINII PER SANCTVM DANIELEM,  
CAP. IX. 24. 25. 26. 27.


CONSIGNATI,  
ILLVSTRIS ET DOCTISSIMI VIRI EQVITIS  
DOMINI IOANNIS DAVIDIS MICHAELIS,  
APVD GÖTTINGENSES PROFESSORIS LONGE  
CELEBERRIMI;

TENTAMINE IN LXX HEBDOMADES DANIELIS,  
PARVM DIGNE EXPOSITI,  
LINEAS

EXHIBET,  
HODIERNVS ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS  
RECTOR,

**IOACHIM HARTMANN,**

CONSIST. DVC. CONSIL. PHIL. ET S. S. THEOL. DOCTOR, HVIVSQVE P. P. O.  
FAC. THEOL. SENIOR ET DECANVS, AD AEDEM  
DIVI NICOLAI PASTOR,  
ET SOC. SCIENTIARVM, QVAE FRANCOF. AD VIADR.  
FLORET, SODALIS.



ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.

h-1256. 420c

THE GRAMMA

1790

# FESTAM DIEM

SPIRITVS SANCTI IN APOSTOLVS CHRISTI

EVANGELIUM

IN MEMORIAM NOBIS REVOCANTEM

FEELICISSIMO ANIMI AFFECTU

CVBVS MEMBRIS QVORVM HONORATISSIMOS

OFFICIIS SVI PARTES QVQVE PAR EST, ARDORIS

HVMANISSIME CONSTATVR

NATIONALI PER QVOD



ILLVSTRIS ET DIGNISSIMI DOMINI IOANNIS MICHAELIS

RECTORIS IN LXX HEREDOMVS DANIELIS

PARVA M. DICERE EXPOSITA

EXHIBIT

HODIERNVS ACADEMIAE ROSTOCKENSIS


RECTOR

## IOACHIM HARTMANN

CONSILII QVOD CONSILII ET A. T. DE DOCTORE PIVS  
VAG. RECTOR ROSTOCKENSIS ET ACADEMIAE  
ET ACADEMIAE ROSTOCKENSIS, QVOD VAG.  
ET ACADEMIAE ROSTOCKENSIS, QVOD VAG.

ROSTOCKII  
LIT. ERIS. A. 1790.

1790



כ"ט



Adest, *Cives Academiae O. O. Honoratissimi*, Festa  
Dies, quae universo quondam orbi vberri-  
morum Passionis, Mortis, Resurrectionis, et in  
coelos Adscensionis, Iesu Christi fructuum prae-  
co fuit: Festa, inquam, dies, qua largissima  
in Apostolos Salvatoris facta est Spiritus Sancti,  
ejusque Virtutis, Divinorumque Donorum, Effusio: Eoque  
facta publico specimine, et sensibili Spiritus divini actu et effe-  
ctu, ut multitudinis, ad divinum et ineffabile opus concurren-  
tis, excitaverit stuporem, et ingentem admirationem. Exoticis  
enim linguis loquebantur, quas nunquam didicerant, facun-  
dissima eloquentia magnalia Dei celebrantes, Scripturamque Sa-  
cram interpretantes, quos laicos, literarum expertes, et idio-  
tas, fuisse, Christi Iesu vero assecclas, omnis populus noverat,  
et ita interpretantes, ut veram et palpabilem sententiam intel-  
ligerent, et Scripturis, earumque complementis, conformem  
perciperent, omnes, eaque efficacia, eoque eventu, ut, Chri-  
stum esse Iesum Nazarenum, ante septem hebdomades cruci  
affixum, mortuum, e mortuis exsuscitatum, in coelos eve-  
ctum, constantissima fide, et persecutionem, et plagas, et  
mortem, spernente, isthac ipsa die ex spectatoribus amplecte-  
ren-

A 2



rentur hominum prope tria millia. Nec in his nisi initium eventuum cernebatur, incredibili, nisi sensus veritatem docuissent, celeritate cursu evangelii properante, et fidelium numerum ad multa millia, in quibus et Levitae quoque, et multi Sacerdotes, augente. Adsint nostri aevi miraculorum, et argumentorum, pro Veritate Evangelica, et Christianismo, a miraculis Christi et Apostolorum desumptorum, ab ipso Christo et Apostolis adhibitorum, *Matth. 11, 4. Esc. 16, 3. Marc. 16, 20. Act. 3, 12. Esc. 4, 29. 30. Ebr. 2, 4. Rom. 15, 18. 19.* vani contemptores, legant, videant, contemplentur, et stupeant! Vos autem, Cives academici, O. O. Honoratissimi, qui mecum celebre Effusionis in Apostolos Spiritus Sancti Festum pientissima mente recolitis, de tanto miraculo, invicto veritatis Evangelicae argumento, gaudete, eodemque, tanquam fortissimo in fide et sanctitate vosmet corroborandi motivo, vsi, hoc tantum Festum devotissima Deo mente agite, transigite. Suppeditabunt, quae dicenda mihi sunt, ad firmandum hunc vestrum animum, non exigua, spero, argumenta. Domesticum quasi hujus sacri temporis videri poterat, et principalissimum, quoddam caput, istud in divinum miraculum inquirere, atque Veritatis Christianae inde eruere documenta, commoda, fructusque saluberrimos, eaque in nostros vsus convertere. At in aliud proficiuus quidem iste labor mihi reservandus est temporis momentum. Memor enim sum, quod residua mihi aliqua supersint, pro exponendo per Danielem, Spiritu divino actum, consignato nobis illustri Vaticinio, eodemque a corruptelis, per Illustrem et Doctissimum Dominum Io. David. MICHAELIS eidem adspersis, vindicando. Laborem, cui, per tria Programmata Rectoralia, operam dedi, ad finem perducere animus est.

§. I.

Meminerint Lectores benevoli ex *tertio Programme meo*, quod, futilissimis principiis vsus, et fictionibus maxime perversis, atque ausu audacissimo, frivole instituto, verba textus, *Ab exitu mandati de reaedificandis Solymis ad Christum, Principem,*  
sunt

*sunt hebdomades septem et sexaginta duae* Vir Ill. mutaverit in haec: *Ab exitu mandati de reaedificandis solymis ad Regem, Principem, sunt hebdomades 70 et 70 et 62.* tumque interpretatione non minus futile, et frivole suscepta, ante numerum secundum intellectos velle annos, vt sententia sit - . . . . *sunt hebdomades 70 et anni 70 et 62.* De modo agendi, et calculo vbique inaniter instituto, satis superque iam disserui, itemque sententiae Viri falsitatem demonstravi l. c. In memoriam tamen revocanda erant ista, cum eadem sint diruta fundamenta, quibus Vir Ill. cuncta, quae reliqua habet, superstruxit, eadem licentia, eodemque, a iusto rerum arbitro nullibi excusando multoque minus adprobando, proterve agendi modo, vniversim vsus. Vnde non mirum, cur pluribus vno locis aqua haereat Viro. Attamen inscitiae suae sensu neutiquam percussus, sed nec fictionum suarum foecunditate adjutus, nihilo fecius tanta in sua, quae nulla sunt, fiducia impletus est, vt Scripturam sphalmatum, sine vlla, quae adparet, recta ratione, accusare, quam erronea se in semita ambulanti agnoscere, malit. Methodus, qua vtitur, vbique eadem est, quam in antecedentibus adhibentem vidimus. Spuriae allegantur Variantes, vbi vel praesto non sunt, vel non ad palatum, finguntur suspicando aliae, mutantur vocales, mutantur consonantes, pro lubitu, hypothesi semel adsumtae, a Dario Medo incipiendi, et protrahendi ad vsque finem belli Iudaici, non sententiam, sed calculum, vaticinii, quae nullis nititur fundamentis, reliqua, quae ad calculum non pertinent, accommodantur. Haec sunt, quibus instructum vbique deprehendimus Virum Equitem. Fidem factura sunt dictorum, quae modo examinanda sunt.

## §. 2.

Proxime his, quae vltimo nostro Programmate diiudicavimus, inhaerentem cernimus Virum vltimis versus 25 verbis, *resituetur et aedificabitur platea et fossa, at in angustia temporis.* Verba vlla difficultate non laborant. At animus ea hypothesibus accommodandi difficultatum ea accusat, vt ex hypothesi deinde lumen accepisse videantur. En praetextas





difficultates : I. Inopia Variantium difficultatem parit, ita de earum absentia conqueritur *Vir Ill.*, qua, fiduciam in Textum firmare, debebat, decebat. Recurrit itaque ad Theodotionis versionem, ex eademque docet *videri sibi* Theodotionem legisse והשוב, et ex hac lectione nunc concludit, ea posita non posse locum habere nexum, qui communiter ab accentibus derivetur, ut sensus sit und zwey und sechzig Wochen lang wird Jerusalem wieder gebauet werden, neminem enim ita loquuturum esse: Und zwey und sechzig Wochen lang und wird Jerusalem wieder gebauet werden. Ita profecto nemo loquuturus est. At ea sunt nulla, et ex solo cum Scriptura ludendi animo profecta, et verbis adplicata ex nexu suo disturbatis. Namque si vel maxime Theodotion legisset והשוב; eo tamen, in sensu, quem Scriptura habet, toto, admitta etiam ea lectione, nihil mutaretur: Von der Zeit an, da ausgehet der Befehl, daß Jerusalem soll gebauet werden, bis auf Christum, den Fürsten, sind sieben Wochen, und zwey und sechzig Wochen, und es werden Gasse und Graben (oder so, nemlich während solcher Zeit, werden Gasse und Graben) gebauet werden. Quid in his foret minus congrui? Verum jam quondam docui Programme secundo §. 3. 6. futilem esse modum Variantes ex Versionibus fingendi. Sufficit textus originalis nullam hic haberi variantem. Imo, cur non etiam ex Lutheri versione, quae illud so habet, derivat vir illustris Lutherum illud legisse videri in originali textu suo? Post illa invehitur Vir in accentus, qui hoc versu habentur, eosque arbitratur constructionem jubere, quam nemo adprobaturus sit doctus censor. Verum saniora discere poterit ex S. R. quondam Patris sui Vberioribus Annotationibus Philologico Exegeticis in Hagiographos p. 338. 339. Conferri etiam possunt, quae dixi Programme tertio §. 8. 2. Verba ipsa והשוב ונבנתה transponit ita: Sie (Jerusalem) wird wieder gebauet werden, et arbitratur ex v. 25. reperendam esse vocem ירושלים. Rationem inde capere vult, quia verbum est foeminini generis, nomina autem, quae mox sequuntur, חרוץ et חרוץ, esse masculini. Unde concludit ad Solyma v. 25. verbum vtrumque esse referendum. Hoc iterum vtrumque est falsum, et textui reclamans, quamvis in eo habeat

habeat praeivium Vir COCCIJVM, conjuncta enim habent verba sua nomina, immediate illa sequentia, modo adducta: Restituetur et aedificabitur platea et murus, vrbis vtrique Solymorum, de qua sermo est. Et quoad postremum dudum b. Chr. Bened. MICHAELIS l. c. monuit: רחוב in plurali vbiuis haud dubia foemininum esse, in singulari vero nusquam reperiri esse masculinum. Ego vero ex hoc ipso loco, cum aliis collato, judicarem esse communis generis, quod et DANZIVS, et STOCKIVS, notarunt. Praetereaue non insolitum est, et in aliis quoque linguis genera vocum conjunctarum aptari isti nomini, quod illis proximum est: vt, cavillo fictas has difficultates non carere, appareat. Verum in his von moror. Sive enim רחוב per plateam, sive forum, exprimas, sive generalem latitudinis significatum adhibeas, quem aliqui interpretes adoptant: Itemque sive per murum sive per fossam, immo sive per aurum, sive per diligenter, explicaveris vocem חרוץ; sensus oritur foecundissimus. Imo si vel ipsam relationem verborum ad vocem ירושליי admittamus, non est, quod in his difficultatis exciteretur querimonia. Sensus foret, Jerusalem soll wieder hergestellt und gebauet werden mit Gassen und Graben (oder Mauern), es soll gebauet werden mit Marktplätzen und Graben, es soll herrlich, und mit grossem Fleiß, gebauet werden. Ita enim eventui cuncta respondent: vt nodum in scirpo quaerat, qui in his moraturus sit, et, pro sensu completo, cuncta sint junctim sumenda. Sed habet et alia, quae proficua videntur Viro: רחוב non solum plateam sed et forum significare. Ejusmodi nomina, quae vtrumque significatum habent, solere adhiberi pro designandis vicis, et oppidulis, Marktstellen, quod et admodum probabile reddit, et sic sententiam eruir: Jerusalem wird gebauet werden als ein Marktstellen und Bestung, nemlich anfänglich nur als ein Marktstellen, allein nachher wird es auch als eine eigentliche Stadt bevestiget werden. In his quamvis in se nihil sit, quod simpliciter renuendum sit, quia domicilia illa, quae, ad cultum publicum et sacrificia adventantibus necessaria, inde a tempore mandati, a Cyro dati, vel a tempore solutae captivitatis, et fundati templi, exstruenda erant, vici speciem, et oppidi sine muris, praebere poterant; admit-  
ten-



renda tamen ea non sunt, quia hypothefin Viri falsam a Dario Medo, vel mandato Cyri, calculum ducentis supponunt. Adhibito autem vero calculo, a mandato, Nehemiae dato, deducto, falsa oritur sententia, quia murus primum erat, quod cum Verbo Regis adveniens Nehemias restituebat et intra tempus 52 dierum perficiebat, *Neh. 2, 17. 3, 1. &c. 6, 15.* Nec textui respondent Viri reliqua, qui quippe de eo, quod *primo* tanquam vicus sine muris, *deinde* tanquam vrbs muris cincta, aedificanda sit, nihil docet. Immiscuntur textui, quae non habet. Textus in generalibus se continet, et promissum habet Urbem reaedicandam plateisque murisque cingendam esse. Tandem, quae Vir illustris huic sententiae absque ratione opponit, quod sibi non sufficiat, ideo, quia sic suffecisset, promitti, Hierosolymam urbem aedificari, et per se intelligatur, quod plateis, murisque aedificanda sit, ea suo potius proposito additamento obverti possunt. Namque non minus per se intelligitur, successive perfici urbium constructiones, ut initio vici speciem referant, tum muri accedant et platearum murorumque decora.

S. 3.

Verba, quae sequuntur **וּבְיָמֵינוּ** nunc examini suo subjicit Vir Ill. Denotare posse, docet, quemadmodum, latina *in angustia temporum*, vel *tempus breve*, vel *calamitatibus obnoxium*, et quodnam intelligendum sit ex his significatibus disputat. Verum quis non sentiat priorem significatum hic non habere locum, cum in antecedentibus sat longum definitum sit tempus. VATABLVS tamen, alique plures, eum significatum retulerunt ad 7 hebdomades, sine tamen sufficienti ratione, cum restitutio et aedificatio per contextum referatur ad totum tempus 7 et 62 hebdomadam, respondente quoque euentu. Posteriolem itaque significatum vnice admittendum esse patet. Eum vero renuit Vir Illustris ec, quod, ut jam quondam notavimus, pinguiora sibi imaginatur Iudaeorum post captivitatem tempora, quam quidem historia tum sacra tum profana, docet, quae non modo populi varias calamitates, confirmat, sed et itatim a Cyri mandato,

dato, ad vsque Darium, quamvis ea huc non spectent, et ipso quoque, quae huc spectant, Esdra et Nehemia, sub Artaxerxe Mne-  
 mone, Ocho, Codomanno, Ptolomaeis, Regibus Syriae et Asiae, testantibus Maccabaeis et Iosepho, imo sub ipsis quoque Regibus Iudaeorum post Aristobu-  
 um, sub Imperatoribus Romanorum, Crasso, Pompejo, etc. ea docet fata, et tempora, Iudaeorum, quae omnino angustiae caractere notanda erant. At Viro Critico nostro ea cuncta non placent. Sunt enim Textui Originali conformia, atque hypothesibus, quas ex suo ingenio produxit, Textumque Sacrum sphalmatum, etiam ubi nullae sunt Variantes, accusandi animo, non conveniunt. Recurrendum itaque ad *Versiones* ut inveniatur aliquid, quod, si hypothesi non statim consentiat, ad eam tamen trahi, saltem adversus textum incorruptum adhiberi, possit. Producitur itaque Theodotion, qui hoc quidem loco habet *ἐκκεναθήσονται οἱ καιροί*. Quilibet qui ista legit, absque partium studio legit, verba, statim videt, neutiquam aliter legisse Theodotionem atque textus Masoreticus habet, sed interpretem efficaciter et emphatice voluisse exprimere textum originale, hinc angustiam temporis per evacuata, exhausta, tempora descripsisse. At cernens id sine dubio Criticus Noster, et ea non ad palatum inveni-  
 ens, recurrit ad alium Criticum SABATIERYM, opinantem, sphalma inesse quoque Theodotionis versioni, et primitus scriptum fuisse *ἐκκαιναθήσονται*, eo quod vetus latina versio etiam habeat *innovabuntur tempora*. Et hoc jam aliquo modo respondere Viro videretur suis sententiis, sumpta scilicet pro vera lectione illa corruptione textus, quam Vir illustris effinxerat, ut pro hebdomadibus septem et hebdomadibus sexaginta duabus, quas textus habet, hebdomades legantur 70 et 70 et 62, et duo posteriores numeri pro annis *ἀπὲρ γραφῆς* sumantur. Namque cum Solymorum desolatione et bello Iudaico finito omnino renovabantur tempora, finita politia Iudaica, Iudaeis dispersis, regnum Christi Novi Testamenti manifestabatur, etc. At, nunc videndum, quomodo istud verbum *innovabuntur* erui poterit ex voce *בבצק*? Nunc via patet  
 B divi.



divinationibus, experimentis, nugamentis! Forte Theodotion legit וחרשו vel וחרשו: vel vocem ורצוק Theodotion derivavit a רצוק, quod fermentationem innuit, quodque confirmare vult Vir Ill. ex רצוק, Hof. 7, 4. perperam huc adducto. Quis non miretur frivolum agendi modum! Eaque omnia producta sunt, ut multa fiant verba, dicatur nihil. Namque ab omnibus iterum recedit Vir, addens, se credere solum, quod sentiat Theodotionem aliter legisse, at quomodo legerit, nescire, verum per ipsam illam inscitiam crescere suam in textum Masoreticum diffidentiam. In his omnibus quanta regnet perversitas agendi, quis non cernat? Monuimus enim inutilem esse laborem, ex versionibus vllis mutandi textum. Hic non modo is agendi modus, sed accedit novus. Versione quoque affricatur sphalma, et arripitur opinio alius hominis Critici, ejusque opinio firmatur ex supposita latina veteri versione, de qua, ejusque vera lectione, disputant Critici et adhuc sub iudice lis est, et manebit lis ad finem seculi, quemadmodum nemo dubitaverit, qui legerit AUGUSTINI CALMET Indagines Biblicas de Versione latina et ad eas b. MOSEHEMII, Interpretis, annotationes Partis V. p. 240. etc. Ea tamen arripitur opinio, quia, in se nulla quidem, consentit tamen cum futili textus corruptione, quam Criticus noster frivola audacia molitus erat, eidemque commode adplicari posse videtur. Sane ejusmodi agendi modus, in id vnicum tendens, ut, consentientibus omnibus Codicibus, constans Textus Originalis lectio dubia reddatur, a nemine, qui vel vllam erga Scripturam S. mente servavit existimationem, non meretur contemni. Nec satis mirari possum, quod Vir Illustris in conscientia sensit, futilia prolata esse, nec tamen scribendi pruritum cohibuerit. Si enim non ipse sensisset, quid laborat in eo, ut ostendar, quomodo ex ורצוק eruatur lectio, quae innovationem exprimat? Nonne eo ipso fatetur ורצוק esse veram lectionem, et hariolando conficiendum esse, quomodo interpretes ab hac lectione potuerit progredi ad innovationis ideam? Ita αυτοκατακρίτων semet sinit, et animum in futillimum quoad lectiones constantes Sacri Codicis Scepticismum

mum adducit. Quid, quaeso, facturus est in iis ubi variare  
 lectiones intelligit? Inconstans, quo se vertat, redit nunc ad  
 priora, pro evacuatione laborans, et fingens, perperuo suo  
 seductus paralogismo, Theodorionem pro **יבוק** **ובצוק** legisse, quod  
 evacuationis ideae respondet. Eamque ideam nunc  
 quoque secundum suas hypothefes bello Iudaico et Solymorum  
 everfioni accommodat, quo tamen pertingere, nisi per  
 saepe dictam suam effectam textus corruptionem, non potest.  
 Sic itaque eruit vaticinii hujus partis sententiam: Jerusalem  
 wird gebauet werden, erst als ein Marktflecken, denn mit Mau-  
 ren umgeben, und befestiget, und wiederum zur bestimmten Zeit Aus-  
 leerung, oder leer und Einöde. Ea vero omnia ut incondita metho-  
 do prolata sunt vltimo loco non sinunt rependere poenas Cri-  
 tico audaci iustas. Quomodo enim haec ultima textui convenire  
 possunt, in quo aliud verbum non habetur quam resti-  
 tutionis et aedificationis? Numquid aedificabitur desolatio?  
 aedificabitur evacuatio! Ita in maxime insana prolabitur ars  
 magna critica! cheu!

## §. 4.

Sed nondum satis est turbarum. Producitur itaque ver-  
 sio Syriaca, quae hic habet **לְשׂוּלָם וּבְנֵי** ad finem tempo-  
 ris. Spondet Vir Ill. aliter legisse Syrum in suo ex quo transtulit,  
 Codice, quam Masoretici habent textus. Atque eo fiducialiter  
 supposito statim praesto est conjectura, quod literis transposi-  
 tis legerit **יבוק**. Ita celeriter causa absolvitur. At vero falli-  
 tur in utroque Vir Criticus. Syrus, qui non ubique ad verba,  
 sed per plurimos locos ad sensum, quem scilicet ipse conceperat,  
 versionem suam formavit, quod ex hoc ipso loco palam est,  
 cum verba *ad usque Messiam Principem transtulit ad usque adven-  
 tum Messiae Regis*, Syrus, inquam, legens verba Codicis sui,  
 ut Codices Masoretici habent nostri, sensum expressurus de  
 angustia temporum cogitavit, eamque sumisit pro penuria tem-  
 porum, scilicet in hoc ipso versu definitorum, sumisit pro ad-  
 proximante temporum determinatorum residua paucitate, pro  
 fine eorum temporum accedente, hinc dixit non *in fine*, sed

B 2

ad



*ad finem temporis.* Vnde profecto quemadmodum nemo cum veritatis specie dixerit Syrum in suo Codice Hebraeo legisse *adventum* Messiae, ita nemo cum specie ad haec verba dixerit, quae Vir illustris fingendo produxit, legisse Syrum. Ita inania sunt, quae cum fiducia Vir Cel. edixit. Ea tamen verba Syrum construere docet Dn. MICHAELIS cum initio versus sequentis, in eoque construendi modo mirum in modum sibi placet, ut eundem medium reputet, omnes difficultates elevandi, eam quoque, cui haec verba propter ꝑ praefixum subsint, quam tamen non explicavit, nisi quod arbitrari est, secundum consuetum Paralogismum suum, quod id praefixum HIERONYMVS non legerit. Difficultas autem illa cessabit omnis, si praefixum non cum significato copulativo sed adverbativo, ut feci §. 2. expresseris. Abrumpit itaque Vir Ill. sententiam post vocem וחרוץ, et verba ונצוק חעתיב conjugit cum sequentibus ואחרו &c. Verum in his nova haeret critica ἀβελήσια ex adhibita superiori textus corruptione, et vana hypothese de bello fatali Iudaeorum hic subintelligendo, et annis 70 et 62 hebdomadibus 70 adjiaciendis, derivanda. Adplicata enim Syri versione nuda oritur tautologia ex hac constructione: Wenn diese Zeit erfüllet ist, nemlich, nach den 70 und 62 Jahren, deleantur omnino verba: Wenn diese Zeit erfüllet ist, nemlich: Nonne eadem tota sententia habetur in solis verbis: nach den 70 und 62 Jahren? Porro de illis annis profecto Syrus nihil habet, nihil cogitavit. Tandem, nec Syrus quidem habet: wenn diese Zeit erfüllet ist, sed ad finem temporis gegen, um, das Ende dieser Zeit, nemlich der 62 Wochen, quae quidem sententia aeque cum antecedente ac subsequente tempore connecti potest, nec, cum antecedentibus connexae quidem, eventus non responderet, propter ornamenta, quae Vrbi et Templo Herodes M. addidit.

## §. 5.

At post criticae tot specimina scientiae nemini proficua, tandem, quoad ista verba, cum textu Originali, Masoretico, in gratiam redit Vir Illustris, salvis tamen, maximam partem,  
COR-

corruptionibus et hypothesibus suis, quibus textum oneraverat. In der That, inquit, dünkt mich, daß auch die gewöhnliche Lesart פוצו einen fließenden und verständlichen Sinn giebt, wenn ich sie mit dem folgenden construiren und so übersehen dürfte: Und in bedrückter Zeit, nemlich nach den 70 und 62 Jahren, wird der gesalbte zerstören, und Gerichte halten, und er nebst dem Seidhenn, welcher kommt, wird Stadt und Heiligthum zerstören. Deserit itaque nunc ea, quae proxime ante haec studiose collegerat, quod varium et mutabilem, nec vllibi sibi constantem, docet Viri animum. Interim in his nunc sibi magnopere placet tanquam cum eventu egregie conspirantibus. Namque anni 70 et 62=132 fore tempus calamitosum, quo subjecti Romanis fuerunt Iudaei, et post 132 illos annos Solyma esse deleta. Er sic gloriatur textum hebraeum, absque vlla mutatione, solis neglectis accentibus, illum sensum naturali nexu (ganz natürlich) suppeditare. Ea tamen omnia sunt nulla, sunt manifesto falsa, sunt figmenta, fucum lectori objicientia, sunt sibi ipsis contraria. *Primo* secundum hanc sententiam verba in bedrückter Zeit omnino sunt superflua. Nemo enim dubitat devastationis tempora esse tempora angustiarum, tempora calamitosa. *Vt* omissis verbis **וּבְצָרָה הָעִיר** sit idem completus sensus, hinc verba ipsa in cassum adposita. *Secundo* annos 70 et 62 textus non novit. Sunt illi nudum Viri figmentum, illicito prorsus modo textui affricatum. *Tertio* falsissimum itaque, eam sententiam obtineri vlla non facta textus mutatione. Vidimus enim quantopere fingendo laboraverit Vir textum vt mutaret et corrumpere. *Quarto* et hoc falsum est, accentus negligi posse. In pejora semper ruit, qui semel a textus litera secedit. De reliquis mox acturi sumus singulis, quae pariter sola textus mutatione et corruptione producta sunt. *Quinto* denique in his nulla textus cum eventu conspiratio, sed contra textus literam fictiones productae sunt, et temporibus, de quibus hic nulla mentio habetur in textu, accommodatae, quibuscum tamen nec ipsae concordant, provti jam ostensum est *Programmate* 3. Fatetur quoque Auctor ipse, suam instabilem esse





in his omnibus sententiam. Nec audere se, dicit, sententiam firmam capere, nisi postquam sciat, quomodo Theodotio legerit, et quomodo *ὁ δ'* transtulerint textum. At primum nunquam conficiet, et quoad secundum spe sua jam frustratus est. Habemus hic mentem Viri, Textum Originalem speritem, et Versionibus confidentem, fontem limpidum negligentem, et cisternas quaerentem aquis vacuas, *Ier. 2, 13.*

## §. 6.

Per ea, quae modo diximus, jam suspicari potest quisque, quod textum iterum in verbis *et post hebdomades 62* mutaturus sit Vir Ill. Mutat nimirum **הַשְּׁבַעִים** *hebdomades* iterum eodem modo, quo ante mutaverat in *septuaginta*, in **הַשְּׁבַעִים** et voci **שִׁשִּׁים** iterum addit praefixum Vav, iterumque addit vocem *annorum*, ut obtineat, quae in versione, §. pc., a nobis exhibitae, expressit. Ea vero quam sint perperam facta jam satis superque Programmate tertio docuimus. Hic autem tanto major est Viri protervia, quanto certius est, non ullam in his verbis **וּשְׁנַיִם שְׁשִׁים הַשְּׁבַעִים** esse, ad quam provocare Criticus noster posset, faventem Viro, Variantem: Imo esse inter Kennicotianas, ipso Viro fatente, unam, quae pro **הַשְּׁבַעִים** legit **רִשְׁבֻעִים**, quod aliter atque per hebdomades verti non potest. Vnde summa est, qua hunc Vir textum mutat, temeritas. Ista ex opposito varians lectio ex Kennicotio adducta Virum docere debuisset, quemadmodum hoc loco non possint *septuaginta* substitui pro *hebdomadibus*, ita nec posse in antecedenti versu, ad quem **ה** demonstrativum lectorem remittit, adeoque vanam et inanem et frivolum esse, quam hic et versu praecedente susceperat, textus mutationem et corruptionem. Atque sensisse haec videtur Vir Ill. hinc alia parat, quae injurio erga Scripturam agendi modo colorem addant. Dicit adesse in verbis textus difficultatem grammaticam, eo quod vox **שִׁשִּׁים** non habeat **ה** demonstrativum praefixum, quod secundum hebraeae linguae genium habere debuisset, quia eodem ornata est vox praecedens **הַשְּׁבַעִים**. Fucus est. Namque omni-  
um

um rerum ignarus sit, qui non noverit, eam nullam esse regulam, sed plurima haberi exempla, vbi  $\eta$  demonstrativum sequens quoque vox habet, plurima quoque vbi non habet. Vir et ipse hoc bene tenens neutiquam dicit, hoc regulis grammaticis repugnare, sed difficultatem grammaticam dicit, dicit tamen sine ratione. Verum finguntur difficultates, vt aliquid dicatur contra. Versio quoque Aquilae manu ducere potuisset Virum, cum eadem rotam v. 5. sententiam repetit, legens post 7 et 62 hebdomades. At praeiudiciis praeoccupata mens verum neque vult neque potest cernere, hinc potius mutandum iubet textum, prioribus, v. 25. audacter factis, mutationibus conformiter, vt ita sonet: Et post 70 hebdomades et 70 atque 62 annos. Interim tamen id necessarium non esse, sed sufficere vocales mutari et שבעים legi et transponere nach den 70 und 62 Jahren. Imo sufficiunt ea ad intelligendum insanum corrumpendi animum. De concordia cum eventu, quem suis hic iterum tribuit, non est vt aliquid addam. Namque ficta est sententia textus, ficta itaque cum eventibus concordia. Eventus huc trahuntur, qui ad causam hanc non pertinent. Textus loquitur de iis, quae a mandato de aedificandis Solymis ad usque manifestationem Christi, quae in Baptismo eius facta est, et hebdomade proxima ab eius manifestatione, neutiquam de iis, quae post 40 annos, ab ea manifestatione, eventura erant.

## §. 7.

Progreditur Vir ad novas textus mutationes et corruptiones. Pro Niphal יָכַר vult legi Kal יָכַר repugnantibus Theodotione, Versione latina, versione Arabica, versione Syriaca, Hieronymo, et Jacobo Edessaco, qui omnes cum textu hebraeo legunt. His testibus omnibus nihil opponere novit, praeterquam falsam suam hypothesin de vocalibus non coaevis, quam nec ipse, nec quisquam, hactenus evidenter probavit, quaeque admitta, in quam fautores suos protrudat licentiam, suo Vir exemplo docet, eoque usque docet, vt misericordia dignus sit, non refutatione. Quo iure, in isto agendi modo versans, ad contextum provocare possit Vir, qui textum corrumpit,



pit, qui sua phantasmata pro contextu substituit, cui sua opinio plus valet, quam textus, qui et vocales et consonantes mutat pro lubitu, et accentus calumniatur, id iudicet, qui vollet, quisque. Haec itaque sunt eiusmodi atque modo diximus. Cum autem ad Kal vindicandum provocat ad eventum, scilicet ad desolationem urbis, et quod ea Christo tribuatur, *Matth 24. Marc. 13. Luc. 21.* imo ad eam Christus dicatur venire in regno suo, ea cuncta miserrime cogitata sunt, quem admodum ex iis patet, quae modo dicta sunt *in fine §. praec.* et ex iis, quae exposita sunt *Programmate tertio §. 5.* Nec de Christo ad iudicium et desolationem urbis veniente cogitandum est ante quam eius in carne manifestatio evicta est. Hinc non potest ille adventus esse terminus ad quem, a mandato dato, tanquam a termino a quo, ponendus. ἀσυστατα ἀσυστατα augentur, et ab vno absurdo progressus semper fit ad plura. Plana sunt cuncta in sententia, quam *Programmate primo* exposui. Post septem et sexaginta duas hebdomades manifestatus est Christus, post hoc tempus, ipsa nimirum 70 hebdomade, excisus est. Nihil huc Solymorum excisio, quae non magis terminus ad quem simul cum manifestando Christo esse potest, atque princeps Titus. Nec enim Christus post 70 hebdomades et 70 et 62 annos a mandato, quodcumque demum adsumatur, manifestatus est, nec Titus post 70 et 62 annos Urbem vastavit. Sola itaque Christi excisio, quae in ipsam hebdomadem 70 incidit, cogitanda hic est. Vnde Niphali, neutiquam Kal, in verbo יכרה locum habet, iubente contextu.

## §. 8.

Quae ad vocem משה habet Vir Ill. ea ad rem nihil faciunt. Exemplum praebent, quam semel adsumta falsa hypothesis aliis colorem induere possit. Adducit quippe pro משה habere Theodorionem χεμου, inde concludit, quod legerit משה, per consuetum Viro paralogismum nullo modo excusandum, saepe a nobis notatum. Eamque tum transfert sententiam ad abolitionem vinctiois, factam desolatione templi,  
cum

cum quo cessaverit vnctio, regnum, Sacerdotium, tota res publica, Iudaeorum. At et ipse is color est nullus. Vnctio enim templo stante secundo nulla erat, oleum sanctum nullum, nec Rex, nec Sacerdos, nec templum, vnctionem acceperat vllam. Quomodo itaque aboleri poterat, quod non erat? Ita vbique nulla sunt, quae Vir protulit, adversum Textum Sacrum ogganniens futilissime. Verum cum et ipse Vir eam sententiam non sequatur, nec lectionem, quamvis fictam a se, non adprobet, diutius eidem nolo inhaerere. Progredior itaque ad ea, quae habet Vir Ill. ad verba  $\text{וְרִין אֵין}$ . Post plurima cavilla adversus consuetam non lectionem (namque etiam hic nullae Variantes, nisi fictae, paralogismo Viri ordinario, ex versionibus, divinando, repetitae) sed interpretationem, quae de morte Christi explicat. Incidit in *Hieronymum*, quem dicit *Aquilam* sequutum, qui ita haec verba transtulerit,  $\text{\kappa\alpha\iota\ \delta\upsilon\kappa\ \epsilon\sigma\tau\omega\ \alpha\upsilon\tau\omega}$  es ist nicht sein, hinc scripsisse Hieronymum, *et non erit populus ejus qui eum negaturus est*. Nec tamen dubitat Vir Ill. Hieronymi Codicem habuisse vt nostri legunt Codices. Non possum non observare, quod hic Houbigantium culpans, qui aliter legisse Hieronymum arbitratur, quamvis fateatur, se divinando non attingere quomodo legerit, addat Vir illustris: *Er (Houbigantius) bedachte nicht, daß ein Uebersetzer auch zuweilen den dunkeln Text erklären wolle, und nicht sowohl die Worte, als das, was er für den Sinn des Autors hält, ausdrücke*. Profecto si id cogitasset, et mente bene tenuisset, Vir illustris ipse; paralogismos eos, quos toties fecisse vidimus, non fecisset, a versione statim repetens variantem textus lectionem. Ita culpa redarguit ipsum. Ita verum videt, cum taxat alios, in propria causa coecus. Verum, quidquid sit de *Hieronymo*, ad *Theodotionem* transit Vir Criticus noster, statim peccans contra regulam, quam modo dederat. De *Theodotione* itaque statim addit, invenisse aliam sui textus lectionem, hanc,  $\text{\textcircled{S} \textcircled{R} \textcircled{I} \textcircled{N} \textcircled{A} \textcircled{I} \textcircled{N}}$ , und *Gericht* ist ihm nicht, et transtulisse  $\text{\kappa\alpha\iota\ \alpha\rho\iota\mu\alpha\ \epsilon\kappa\ \epsilon\sigma\tau\omega\ \epsilon\upsilon\ \alpha\upsilon\tau\omega}$  eumque sequutum esse Arabem. *Primo* in his iterum observo communem paralogismum a *Versione* ad *Textum Originalem* concludentem, et *Variantes* fingentem. *Secundo* vt is procedendi



dendi modus fundamento caret, ita inane est omne studium conjecturandi, quomodo ea ficta lectio orta sit, quae nulla est, quamque in vllō codice fuisse probari nequit. Quid enim hoc est, nisi fictiones per fictiones probare? Nihili itaque sunt isti paralogismi. Facile potuit in aliquo Codice רין scribi pro אין. Invenit alius legens in suo Codice אין scripsit in margine רין. Venit indoctus copista, et, quod in margine scriptum videt, textui jungit, et sic oritur לו ורין אין לו. Nec tamen ita celeriter res claret. Invenit ille, si fabula vera esset, ורין pro אין, nonne scripsit ad marginem ורין? Et copista fictus nonne scripsit לו ורין אין לו. Videt Criticissimus Vir Criticus opus suum nondum esse completum, sed porro explicandum esse, quomodo Vav unum ablatum; ut plura non addam. Nugae! Tertio enim notissimum est, interpretem respicere sensum, et vertere secundum eum sensum, quem verum iudicat. Nunc inter omnes constat, quod non pauci fuerint, qui his verbis sensum tribuerent, qui Redemptoris innocentiam vindicaret, itaque *at non propter se, non sui ipsius causa*, verterunt. Hi deinde in duas abiere classes, quarum vna, quod nostri causa mortem subierit, altera, quod in ipso nulla mortis, nulla condemnationis ad mortem, nulla iudicii, nulla poenae, ratio fuerit, prouti Pilatus multoties de Christo confessus est, his verbis insinuari, statuit. Theodotion nunc posterioris classis erat, adeoque scripsit interpretis, *Iudicium*, condemnatio, vel condemnationis ratio *in ipso non est*. Theodotion itaque nullam habebat variantem, sed, quem verum habuit vocum sensum, versione sua expressit. In cassum Theodotioni affingitur Codex Variantis Lectionis. Sed pro sua hypothesis quid nunc ex Theodotione lucratur Vir Ill.? Omnino nihil! Verum arbitrio locum fecit, ut stabiliat quidquid lubet, et textu sacro abutatur ea, quae propria ipsi est, temeritate. Evertit textum, et vocem אין, veram lectionem, omnino rejicit, et adoptat, quam effinxerat ingenio suo, alteram לו ורין, *et erit ipsi iudicium*, eamque eo porro explicat, *er, der Messias, wird Gericht halten*, quem et sensum vllō exemplo non probat, et vere, ut ipsam lectionem, fingit, et tum gloriatur, id antecedentibus et consequentibus bene convenire,

venire, scilicet figmentis suis, quae haecenus abunde vidi-  
 mus: Der Messias wird ausgerottet und Gericht halten. Ita vbiq̄ue  
 figmentis lectores nutriendos alendosque curat Vir Ill.! Cum  
 autem Textus Sacer legit לֹא יִהְיֶה לְיֵשׁוּעַ, quid itaque  
 de illorum verborum sensu sentiendum? Textus Originalis, nul-  
 la variante laborans, docet: *Post sexaginta duas ILLAS hebdomades  
 excindetur Christus, et non erit ipsi.* Verba vltima eodem apud  
 hebraeos modo adhibentur atque apud latinos. Hoc distin-  
 ctissime patet ex *Exod. 22, 2.* לֹא יִהְיֶה לְיֵשׁוּעַ, cum non erit,  
 vel non est, ipsi, id est, cum nihil habebit, vel haber. Ita etiam  
 hoc loco: excindetur Messias et nihil erit ipsi, es wird ihm  
 nichts übrig bleiben, namque et ipsis vestibis suis nudatus est,  
 eademque millibus distribuendae tradebantur, nihil ipsi fuit,  
 quod satis bene Lutherus reddidit er wird nichts mehr seyn. Ut furili-  
 ter suspicionem lectoribus suis Vir Ill. excitare nitatur, verba esse  
 absque sensu, quae Vir doctus nesciat ita explicare, vt in ea ac-  
 quiescere posset interpretatione. Eamque hanc quam dedi expo-  
 sitionem, quam etiam GVSSETIVS vindicavit, excisioni maxime  
 respondere, hinc ideis connexis, iudico, quamvis non repu-  
 gnem, si cui aliqua ex reliquis a me allegatis significatibus arrideat,  
 vel eam SOSTMANNI et b. MICHAELIS l. c. praeferre velit,  
 vt simpliciter innuat non erit, sc. inter viventes visibiliter o-  
 mnium oculis obversans. Rei ipsi enim omnes isti significatus  
 conveniunt, excepto vno, quem Dn. MICHAELIS finxit, imo iunctim  
 adplicari possunt maxime tamen is, quem vltimo loco posuimus,  
 vterque. Excisione enim Christi vere hoc quaerebant et de Chri-  
 sto hostes ipsius sperabant, excindendum ita, vt nihil quidquam  
 ipsi superstit, et ne vita quidem, nec quidquam eorum, quae  
 quomocunque ad ipsum pertinebant, *Pf. 41, 6. 9.*

## §. 9.

Sequuntur verba וְהָעִיר וְהַקֹּדֶשׁ יִשְׁחָתוּ עִם בְּנֵי הָאָרֶץ  
 atque urbem et Sanctuarium perdet populus Ducis venturi. Quae  
 quamvis vlla difficultate non laborent, cum quilibet intelligat  
 eventum listi, qui malitia populi in Christo extirpando de-  
 monstrata maxime promeritus erat. Eumque eventum



tanquam confectarium excisionis Christi hoc loco allegari et  
 praenuntjari. Quilibet enim, historiae populi Iudaici illorum  
 temporum gnarus, cognoscere poterit, quod sequentibus post  
 Christi excisionem annis perpaucis statim coeperint mala,  
 quae tandem ad eum adscendebant gradum, vt vates divus  
 Paulus jam anno post mortem Christi 14 scribere potuerit,  
*1 Theff. 2, 15. 16. quod Deo displiceant et Iudaei, omnibus hominibus  
 adversi sint - - - quod venerit super ipsos ira Dei finalis, ad finem  
 ipsis inducendum ipsorumque reipublicae.* Conf. Syst. Chron.  
 Bibl. p. 898. Creverunt deinde turbae ad vsque exortum tan-  
 dem Iudaeis fatale bellum, quo populo, et Sanctuario, exitum  
 tandem complete inductum est. Verba itaque nulla difficul-  
 tate laborant, et per eventum abunde illustrantur, maxime  
 cum Christus quoque in ipsorum impietate et negata Sibi  
 fide, rationem interitus ipsorum, et exclusionis a regno coelo-  
 rum, posuerit, et ipsis Iudaeis nunciaverit. At semel mente  
 concepta Dni. MICHAELIS falsa principia etiam adversum  
 hanc clare propositam vaticinii sententiam Virum armave-  
 runt. *Primo* quidem, et ipse verba active interpretatur de Messia,  
 et versionem Theodotionis, in qua scriptum *διὰ φερεῖ*, hinc  
 active expositum verbum מְרַחֵם, producit. Fidemque confor-  
 miter legere etiam Veterem Latinam et Arabicam ver-  
 sionem, et Hieronymum quoque in Vulgata, docer, ni-  
 mirum activum pariter retinentes. De eo itaque nullum  
 dubium est, verbum esse activum, maxime quod nulla hic  
 apud hebraeos est varians lectio. Quamvis enim Syrus ha-  
 beat passivum, quemadmodum etiam Vir Ill. notavit, eam  
 tamen is lectionem ex rationibus grammaticis quoque respuit,  
 qui etiam alteram Syri lectionem, qua *et urbem sanctam* legit  
 pro *et urbem et Sanctuarium*, negligit, quamvis Kennicotti ali-  
 quam variantem illi fere similem, pariter negligenter, addu-  
 cat. In his itaque non moramur. Verum gravior est quae-  
 stio, ad quem, tanquam causam agentem, actus perdendi re-  
 feratur. Et eum Vir Ill. facit *Messiam*, provt ex antecedenti-  
 bus facile quisque judicaverit, cum jam יכרת fecerit activum  
 ad Messiam relatum. Provocat quidem ad Theodotionem,  
 qui

qui omnino legit καὶ τὸ ἅγιον καὶ τὴν πόλιν διαφθερεῖ σὺν τῷ ἡγε-  
μόνι (potius ἡγεμένῳ) τῷ ἐρχομένῳ, et nunc Vir gloriatur, quod  
non sit nova quam sustineat sententia. At ea gloriatio hic  
quidem immature fit. Theodotionis versionem in multis mi-  
nus accuratam esse, nemo, qui eam comparaverit, ignorat, et  
id ipsum ex variis exemplis, quae in hac ipsa tractatione vi-  
dimus, jam sat manifestum est. Hoc quidem et quoad prae-  
sentem propositionem valet. Theodotion nullum habet no-  
minativum. In antecedenti propositione ubi Christum legere  
debat, habebat *Chrisma*. Meminerint lectores, quem ex ea  
lectione usum, quamvis frustra, quaesiverit Dnus MICHAELIS  
(S. 8.). Et *Chrisma* profecto non evertit neque Sanctuarium  
neque urbem. Spurium est in his Theodotionis rotum inter-  
pretamentum. Et Dni MICHAELIS ad eius provocatio con-  
sensum, hinc suae sententiae antiquitatis laus, non nisi fucus  
est, quem in lectores compellit. Sane mirum est, qui Theo-  
dotionem sibi consentientem producere Vir potuerit, quem  
ipse adduxit in antecedentibus sibi adversantem תרבי non acti-  
ve sed passive vertentem. *Aquila* legit καὶ τὴν πόλιν καὶ τὸ ἅ-  
γιον διαφθερεῖ λαὸς ἡγεμένους ἐρχομένους. Sine dubio etiam nomi-  
nativum λαὸς habuit quondam Theodotion, postea injuria  
descriptoris elapsum, vel ab ipso Theodotione negligenter  
omissus est nominativus. Ad lectionem hebraeam itaque a  
Theodotionis versione futiliter concluditur. In verbis ultimis  
adductis pro sua licentia Dnus MICHAELIS vocalem vocis מ  
mutat in ע et ת; per imperatorem (Feldherrn) pro arbitrio  
transponit. Priorem illi licentiam omnino negamus maxime  
cum non vlla nitatur Variante, quae hic nulla est. Ad Theo-  
dotionem, ad Syrum, Arabem provocat quidem: Sed non  
modo in genere Paralogismum, quo a Versione ad aliquem  
codicem concluditur, non admittimus, et hoc loco multo mi-  
nus, cum non vllam habeat Vir in Codicibus hebraeis variantem  
lectionem, verum etiam isti interpretes non aliter legerunt.  
Sed sensum respicientes, et facti, quod princeps, quem Tirum  
reputabant, exercitui praesens fuerit, sibi conscii, distinctius rem  
D 3 expref.





expressuri populum cum Principe posuerunt. Et ex eadem ratione etiam HIERONYMVS ducem cum populo conjunxit. De re ipsa an Christus an Titus hinc imperator, *Feldherr*, intelligendus sit is Princeps jam alibi diximus. Populus itaque in Nominativo vt causa immediate agens sistitur, neutiquam Messias: Quamvis optime populus s. exercitus Romanus cum suo Tito ad Christum, vt causam mediatam et principalem referatur.

§. IO.  
Quae sequuntur verba *וְקָצוּ בְשֵׁטֶף* in se difficultate non laborant. Instinctus tamen Viri ad mutandum textum eum et hoc loco impulit, quamvis nulla habeatur varians, vt mutaret vocem primam in *וְקָצוּ*, in quo tamen alios quoque jam antecessores habuit. Ne sine ratione fieri reputes, addit, propterea se mutare, quia masculinum est suffixum cum *וְ* sit foemininum. At, quid opus, referri ad vocem *וְ*? referatur ad masculinum *וְקָצוּ*, et lis cessabit? nec itaque mutatione vlla opus est. Quae de caetero ad illustrationem vocis *וְשֵׁטֶף* attulit Vir, quod et festinationis ideam complectatur, prouti jam quondam alii quoque obseruarunt, id facile admitti potest tanquam eventui respondens, quare ad reliqua sine mora transitori sumus.

§. II.

Quoad verba sequentia: *וְעַד קֵץ מְלַחְמָה נַחֲרָצָה שִׁמְמוֹת* et vsque ad finem belli decreta est desolatio. Sensum eum Vir Ill. adprobat, dubitat autem eam esse hebraei textus sententiam. Dubitat an *וְעַד* significatum decernendi habeat, haeret circa Singularem *נַחֲרָצָה* junctum plurali, vult referendum potius esse ad bellum. Et eligens festinationis significatum pro istoc verbo, ita textum transfert: *Bis ans Ende des mit Eile geführten Krieges wird Verwüstung seyn.* Concedit tamen consuetam verborum explicationem jam antiquam et Vulgatae, Syro, et Arabi, respondentem. Laudo, Perplacent, quae in his habet Vir illustris, et insolita quidem prolata modestia. Verum longe absum, quin omnino cum ipso sentiam.

Neu-

Neutiquam enim video adeo magnam differentiam inter hanc explicationem, et consuetam, ut non utraque sententia bene conjungi, et uterque significatus verbi  $\text{קָרַץ}$  in tota sententia exponenda adhiberi possit: Quemadmodum non desunt efata ejusmodi Sacri Codicis, ubi, qui diversissimi videbantur, significatus, conjungendos deprehendimus, e quibus vnicum hic adduco locum insignem, *Ies.* 53, 4. collatum cum *Matth.* 8, 16. 17. Decreti notio abjicienda non est. Adducit tum quoque Vir Ill. aliquot variantes ex Kennicotianis, quarum altera pro  $\text{קָרַץ}$  legit  $\text{קָרַץ}$  altera  $\text{קָרַץ}$  cui postremae etiam Syriaca versio accedit, quamque et ad sententiam totam efati accommodat. Quibus cunctis nihil oppono.

## §. 12.

Progredimur ad Vaticinii versum vltimum, praemonentes continere eundem duorum momentorum versu 25 memoratorum, nimirum mortis Christi, et consequutae adversus occisores ejus vindictae, vberiolem explicationem. Et quoad *primum* quidem specialius designatur tempus *post 7 et 62 hebdomades* quo excidendus Christus praedictus erat, hebdomadem sc. esse *foederalem vniam*, quam ex nexu cum v. 24. et 25. nemo aliam quam *septuagesimam*, ad complendum numerum 70 v. 24. adhuc post 69 v. 25. residuam, judicaverit, quam manifestatione Christi ad ejus baptismum inchoari, cum praedicatione Evangelii Vniversali claudi, docui *Progr. primo*, et vberius exposui *Syst. Chron. Bibl. Sect. I. Cap. XII.* Designatur autem specialissimum quoque mortis Christi tempus, medium hebdomadis illius foederalis, pariterque effectus, cessatio Sacrificiorum, scilicet quoad valorem suum, quam sequutura sit physica quoque sublatio per Urbis vastationem, eamque ad seculi finem vsque duraturam. Quoad *secundum* enim suppeditatur character irruentis devastationis, ala, tanquam illius signum, et significatur, eam devastationem ad seculi consummationem duraturam. Praemissa nexus Vaticinii hac declaratione, videamus quid ei obmoyeat Vir Ill. Dnus MICHAELIS. Sedulo praemittit dicendis, ingentis obscuritatis Vaticinii, quoad hunc versum 27, accusationem, in quo nihil se distincte videre dicit, praeter hoc solum

ad 197

solum



solum, de bello aliquo septennali, cujus medio cessatura sint Sacrificia, sermonem esse: Quod profecto solus cernit Vir Cel. Tum proponit duplicem versionem hujus versus, quarum alteram Theodotionis alteram τῶν ὁ dicit. In permultis admodum aliena est utraque ab ea, quae Roma veniens typis expressa est Goettingae 1773 1774. Quarum tamen eam, quam Vir Ill. τῶν ὁ dixit Sixtus V. in Edit. τῶν ὁ quam curavit, suscepit, quam Theodotionis dixit, eam in notis Sixtus exhibuit, margini exempli Vaticani adscriptam, eamque putat ex aliis coacervatam exhibere lectionem. Verum his dijudicandis cunctis non immoror. Nec arbitror Virum Ill. de iis, quae Romae et Goettingae prodierunt, gavisurum esse multum. Mihi certe exemplum videntur his ostendendum, qui Versionem τῶν ὁ nimium extollunt, ut cernant, quanta ipsi insit confusio, quanta corruptio. Sed veniamus ad rem. Primo hujus versus verba sunt והגביר ברית לרבים שבוע אחד Et corroborabit foedus multis hebdomade vna. Multus est Vir Ill. in difficultatibus neccendis vbi nullae sunt, eo vsque, ut, se verba ista omnino non intelligere dicat, non intelligere significatum Verbi גביר in conjugatione Hiphil, גבר non inveniri alibi cum ברית junctum. Quid magni! Explicuimus supra *Progr. primo*. Hic repeti non opus est. Foedus gratiae est, quod morte sua ut firmatum dici potest, *Hebr.* 9, 17. &c. ita etiam doctrina, et susceptione in Ecclesiam, et numerum Christianorum, in discipulatum, et gratiae augmentis, corroborari recte dicitur. Nova difficultas an foedus in nominativo, an accusativo, et qui verbum masculinum possit jungi foeminino &c. Nugae! Verbum est activum regit accusativum. Et quid ad hoc generis comparatio? Ita nodus in scirpo quaeritur. At mox clarum fit, quid vserit Virum. Nihil cogitabat quam bellum, hinc torquebat se, anne posset eruere: Die Juden werden einen Bund machen, und sich gegen die Römer empören. Tandemque sperat variantem, quae pro ברית legat יכרית ut sensus sit der Feldherr wird überlegen seyn, und viele vertilgen. Ejusmodi sigmenta pro difficultatibus inveniendis vbi nullae sunt! Est sensus planus: Aber er (reperendus est Christus ex v. 25.) wird vielen x. Ut his pluribus inhaerere non sit opus. Ad verba

verba duo ultima provocat ad calculum fictum suum, quem vidimus. Eo posito omnino difficile foret intellectu, unde nunc iterum vna hebdomas? et quo referenda sit? At is calculus figmentum. Figmentum itaque haec difficultas. Si hebdomas septuagesima hic intelligenda esset; — praefixum esse deberet, quod non est. Nugae! Regula falsa, cum de 70 nihil restet praeter hanc vnam hebdomadem. Poterat adesse praefixum, neutiquam necessario esse debet. Progreditur tandem ex tot difficultatibus erumpens Vir mascule ad adplicandum suam hypothesin. Hebdomas haec sive anni 7 sunt anni belli fatalis Iudaeorum. En calculum! Anno 12 Neronis Aerae Christianae 66, mense Majo, coepit bellum, dicente IOSEPHO. Anno 73, mense medio Aprilis, Massada occupata belli finis erat, eodem teste. Anno 70 initio Septembris Solyma excisa. E. in medio Hebdomadis. Eheu!! Hebdomas itaque foret 8 annorum 8 mensium. Suaderem Viro Ill. recurreret ad Appendiculas b. BENGELII pro calculi sui rectitudine demonstranda. Inest in his erratum in annis. Bellum coepit anno 67, Solyma excisa anno 71. Verum in his non moror. Quia quoad hanc causam nihil inde detrimenti pender. At pro dimidia hebdomade sumere 4 annos 4 menses, redundantibus 10 mensibus, hunc justum calculum nemo dixerit. Subtractis etiam 2 mensibus, quibus ante Solymorum excidium cessasse Sacrificia docemur, redundant tamen 7 menses. Calculus ergo, quem, ad Verba וְחָצִי הַשָּׁבוּעַ יִשְׁכַּח זֶכֶר וּמְנַחָה explicanda adduxit Vir Ill. est falsus. Videat autem nostrum calculum! Ibi omnia iusta sunt. Circa medium mensem Tisri manifestatus Redemptor 3½ annos officium gessit, circa medium Mensem Nisan cruci affixus, praecise! Vt nihil nobis objiciat cavilli, qui medium obtinemus praecise. Quod autem nostrae sententiae Vir opponit, naturale non esse terminum abolitionis explicare hoc significatu, ut idem sit, ac verum sacrificium offerre, hoc cavillum est. Id enim nemo dixit. Subsistimus enim in notione abolitionis. At cum quaeritur, quomodo morte Christi abolita sint sacrificia? tum id deducimus ex typica sacrificiorum natura, hinc valore eorum coram Deo, cum Antitypus adest, cessante. Quae prorsus alia sunt, Quod opponit iterum, Apostolos et primos Christianos sacrificia obtulisse: Ad hoc,

D

in



in quantum admitti potest, jam supra respondimus, pro Sacrificiorum valore nihil conficere. Tandem obverrit abolitionem Sacrificiorum triste fatum esse, Christi Sacrificium solatio plenissimum, hinc non posse ea quoad notionem conjungi. Ea misera est objectio, partim jam remota, partim falsa, partim nullius momenti. Tristibus solamina conveniunt. Vtrumque certo respectu triste, alio respectu solamine plenum, est. Claudat Vir Illustris allegando vnam veram variantem, quod Codex Casselanus legat **וְעַר כְּנָף שְׂקִי צִיּוֹן**, et 3 Variantes ex versionibus conceptas, secundum paralogismum, quem saepe rejecimus. Quoniam tamen ipse Vir Ill. faretur, nullam omnium textui Masoretico esse praefereendam; in iis non moramur.

§. 13.

Sequuntur Verba **וְעַר כְּנָף שְׂקִי צִיּוֹן** et super *alam vel ad alam abominationum vastator*. de ala exercitus Romani explicavimus superius *Progr. primo*. Sententiam totam ipse Christus suppeditat, *Luc. 21, 20*. Wenn ihr aber sehen werdet Jerusalem belagert mit einem Heer; so merket, daß herbey kommen ist ihre Verwüstung. Abominatio alae tribuitur, quia abominandam devastationem inducturus erat urbi sanctae. Hinc dicitur, *Matth. 24, 15*. itemque *Marc. 13, 14*. *Ἐδολύμα τῆς ἐρημόσεως* eine greuliche Verwüstung. Quid in his, quaeso, obicurum est? At vastatorem Vir Illustris fecerat Christum, Principem. Eum nunc dicere vastatorem cum ala abominationis adventantem noluit. Aqua haeret: Diese Worte, inquit, wage ich nicht zu erklären. Cum autem addit nec alios ante se exposituros fuisse, si pensitassent, in editionibus Bibliorum *posse* lectionem spuriam haberi: hoc inaniter dictum est, quovsque non clare demonstratum est, adesse. A posse ad esse N. v. c. Quis, quaeso, locus biblicus posset exponi, si ejus modi phantasmatis locus esset? Nulla autem a Viro Ill. adducta est varians textus originalis. Vnde magis absona sententia. Recurrit itaque nunc ad Versiones, et quidem ad *Theodotionem*, atque per Paralogismum suum consuetum adserit, illum *legisse* **וְ** pro **לְ**, quod hic nullius momenti est, cum cuivis notum sit, vtramque particulam quoad significatum admodum convenire. *Theodotio non habet abominationis vocem!* At varia est in his Theodotionis lectio. Habent quoque eam vo-

cem

cem Graeci. Verum *habent in statu constructo*! Quid inde? Sensum enim respiciebant non ad verba vertebant. Et hoc vnum notatum sufficit ad intelligendum, quod absque fundamento ex verbis Theodotionis, τῶν ὁ, et diversis Evangelistarum *ll. cc.* dicendi modis, Vir Ill. multis ambagibus colligere vult, aliam fuisse tum Codicis hebraei lectionem. Et, quod Evangelistae quoad sensum conveniant tum inter se, tum cum Vaticinio a Daniele consignato, hoc jam ex iis patet, quae initio § dixi. Locus sanctus, quem Christus dicit, ipsa Solyma designare potest, *Matth. 4. 5. Luc. 21, 20.* vt nihil opus sit, in se quoque falsis, et duplici errore contaminatis, sententiis, eum, qui graecam fecerit Evangelii Matthaei versionem, verba ex ὁ mutuo sumsisse, a Viro ill. in cassum adsumtis. Disputat deinde Vir adversum eos, qui vocem כנה de alis templi explicant, quae πτερύγιον vocentur, *Matth. 4, 5.* Habent vocem aliqua τῶν ὁ editiones, τῶν ὁ aliqua, aliae πτερύγιον. Versiones variant. Textus hebraei variantem non habet Vir illustris ullam. Caeterum, quae disputat hic Vir Ill. ea nos non tangunt, quia de alis templi non exposuimus. Nec tamen aliquid magni subest. Exercitus Vastatoris omnino ad templum quoque accessit. Et locus sanctus, quem Christus dixit, etiam templum cum suis alis includit. In vanum redeunt, quae Vir Criticus, incertus, vagus, ambiguus, multis ambagibus produxit, textum, nullis vacillantem modis, vt incertum redderet absque effectu. Pro fine isto nec quidquam ex adducto IOSEPHI loco lucratur, nec is vlllo modo probat, aliam IOSEPHVM habuisse Textus Originalis lectionem, et tanto minus probat, cum Iosephus Vaticinium producat non Danielis, sed alius cuiuscunque, per traditionem ad sua tempora conservatum. Vnde absona est audacia secundum istiusmodi figmenta velle textum mutare Originalem.

## §. 14.

Tandem ad vltima Vaticinii progredimur verba: וער כלה וְעַר כֹּלָה וְנִחְרְצָה הַתֵּבָה עַל שׁוֹמְרֵיהֶם et usque ad consummationem, et decreta quidem (sc. desolatio ex v. 26. repetenda) effusa est super desolatum. Ad consummationem seculi divinis decretis statuta desolatio perseverabit super populum. Vastator est Christus, exercitum Iudaeis hostibus suis immittens, abominandam desolationem iis inferens, et ad consummationem seculi effundens, in desolatum stillan-

tem




tem, Ps. 68. 24. Matth. 22, 7. 24, 27. 28. Luc. 21, 24. 32. Colla-  
tis rite Scripturis nulla difficultas. Ac Vir Ill. etiam in his haesitat, iterum  
ex Versione τὰν ὄ et Theodotionis, Syri, et Vulgata, alia atque textus habet  
eruere nititur, at, quod ipsis tribuere debeat, determinare nequit, praeter-  
quam quod arbitratur τὰς ὄ legisse Ἰσραὴλ secundum scilicet paralogismum  
suum. At ex isto indeterminato statu mascule se elevat, ipse variantem sin-  
git, eamque substituit textui pro τὰν legit τὰν et nunc sensum hunc evoluit:


Und abermahls Untergang (nemlich unter dem Hadrianus), und eilend wer-  
den sie über das Verwüstete kommen. Celeritas scribendi effecit vt non  
attenderit Vir scribendum fuisse, und eilend wird er. Vir illustris mente  
habuit Vocem Niederlagen, qua pro explicanda voce Untergang usus  
erat. Verum ejusmodi textus mutationes admittendae non sunt, hinc  
in cassum fiunt, iisque superstructus inaniter arbitrio Interpretis con-  
stitutos sensus. Ex fictionibus non nisi fictio resultat. Verum suffi-  
ciant ista, quae spero abundanter dicta sunt, pro tenuendis, quae a Viro  
Ill. prolata sunt. Vnicum est, quod disco, Virum indeterminatum esse  
quoad dicti sensum. Velim! Vir Ill. nunquam arripiat calamum, nunquam scri-  
bat explicationes eorum, de quorum sensu indeterminatus est. Hoc Viro,  
hoc lectoribus, hoc vniuerso, molestum non erit, Virumque ne aduersus  
divina calamum acuat securum praestabit. Qui meliora non habet, optime  
sibi consulit, non contradicendo iis, quae refutare nequit. Verum jam sa-  
tis est, et quae haecenus vidimus, ostendunt, nullam fuisse rationem Viro su-  
spicandi, quod magnae pro meritis in Daniele sibi grates debeantur.

Cernitis profecto, Cives O. O. Honoratissimi quam longe a Veritate  
alieni reddantur, qui a litera Scripturae S. aberrant, sua potius, quam di-  
vina, sectantes. Cernitis autem simul quoque, quod sacra sit, et tuta, omni-  
bus aeterna idem Sacer Codex, his, qui eundem legunt, acceptant, sequuntur.  
Et tantae securitatis ratio in eo solo habetur, quod hodierna festa dies in  
memoriam vobis et omnibus Christianis revoeat, quod *acti Sancti Viri Dei*  
*a Spiritu Sancto, ore et scriptis, non nisi divina loquuti sunt, 2 Pet. 1, 21.*  
Publice hoc testatum dedit Deus Effusione in Apostolos Iesu Christi miracu-  
lose facta Spiritus Sancti, ejusdem Spiritus Christi, qui in V. T. quoque  
Prophetis Novi Foederis gratiam, et eam quoque, quam hodie celebramus,  
praenunciavit, 1 Pet. 1, 11, vt totam Scripturam S. ab eodem Sacro Spiritu  
profectam sciamus. Celebrate Dnum, Cives Optimi, pro tanta nobis exhibita  
gratia, invincibili divinitatis et veritatis Scripturae S. argumento. Verum  
religioni Vobis sit, ne solo eum celebretis ore, sed toto corde, eoque amore  
Dei et Christi pleno. Tum et in Vos redundabit sanctificans Spiritus divini  
gratia a Christo promissa, quam hac ipsa festa die e suggestu etiam Vobis  
promissam nunciari novistis: Qui me amat, verbum meum servabit, et Pa-  
ter meus eum diliget, et veniemus ad ipsum, et habitaculum in ipso facturi  
sumus, Io. 14, 23. Faxit Deus T. O. T. M! Amen!

SVB SIGILLO RECTORALI IPSA PENTECOSTES  
FESTA DIE. A. S. R. cldccclxxxl.








cem Graeci. Verum *habent in statu constructo!* Quid inde? Sensem enim respiciebant non ad verba vertebant. Et hoc vnum notatum sufficit ad intelligendum, quod absque fundamento ex verbis Theodotionis, τῶν δ', et diversis Evangelistarum *ll. cc.* dicendi modis, Vir Ill. multis ambagibus colligere vult, aliam fuisse tum Codicis hebraei lectionem. Et, quod Evangelistae quoad sensum conveniant tum inter se, tum cum Vaticinio a Daniele consignato, hoc jam ex iis pater, quae initio §. dixi. Locus sanctus, quem Christus dicit, ipsa Solyma designare potest, *Matth. 4. 5. Luc. 21, 20.* vt nihil opus sit, in se quoque falsis, et duplici errore contaminatis, sententiis, eum, qui graecam fecerit Evangelii Matthaei versionem, verba ex o mutuo sumsisse, a Viro ill. in cassum adsumtis. Disputat deinde Vir adversum eos, qui vocem כנה de alis templi explicant, quae πτεργιον vocentur, *Matth. 4, 5.* Habent vocem aliquae τῶν δ' editiones, τῶν δ' aliquae, aliae πτεργιον. Versiones variant. Textus hebraei variantem non habet Vir illustris vllam. Caeterum, quae disputat hic Vir Ill. ea nos non tangunt, quia de alis templi non exposuimus. Nec tamen aliquid magni subest. Exercitus Vastatoris omnino ad templum quoque accessit. Et locus sanctus, quem Christus dixit, etiam templum cum suis alis includit. In vanum redeunt, quae Vir Criticus, incertus, vagus, ambiguus, multis ambagibus produxit, textum, nullis vacillantem modis, vt incertum redderet absque effectu. Pro fine isto nec quidquam ex adducto IOSEPHI loco lucratur, nec is vilo modo probat, aliam IOSEPHVM habuisse Textus Originalis lectionem, et tanto minus probat, cum Iosephus Vaticinium producat non Danielis, sed aliuscujuscunque, per traditionem ad sua tempora conservatum. Vnde absona est audacia secundum istiusmodi fragmenta velle textum mutare Originalem.

## §. 14.

Tandem ad vltima Vaticinii progredimur verba: ועד כלה וְעַד כְּלָה וְנִחְדָּצָה הַתֵּיבָה עַל שׁוֹמְמֵי et usque ad consummationem, et decreta quidem (sc. desolatio ex v. 26. repetenda) effusa est super desolatum. Ad consummationem seculi divinis decretis statuta desolatio perseverabit super populum. Vastator est Christus, exercitum Iudaeis hostibus suis immittens, abominandam desolationem iis inferens, et ad consummationem seculi effundens, in desolatum stillan-

tem



the scale towards document